

## VITA SECUNDA

AUCTORE PANDULPHIO PISANO.

Innocentius, natione Romanus, ex patre Joanne, de regione Transtiberina. Sedit annis XIII, mensibus VII, diebus VIII, et cessavit episcopatus dies II. Hic perrexit ad Rogerium ducem Apulie cum exercitu Romanorum; sed cum suis, cum quibus fugam cepit, raptus est ab eo. Hic condamnavit totam partem Petri Leonis cum ordinatione sua. Iste Petrus, Petri Leonis filius, a cardinalibus paucioribus est electus, et Anacletus dictus: hostiliter fecit aggredi Fracapanensium castra, et loca in quibus se Innocentius cum cardinalibus receperat. Sed quia sic nihil profecit, cum manu armata ecclesiam B. Petri apostoli adiit, et per violentiam habitam aureum crucifixum, pendentesque coronas auri et argenti, ac lapidibus pretiosis spoliavit. Cymborium quoque, quod S. Leo papa construxerat, destruxit. Hoc idem ad S. Mariam Majorem magno thesauro ditatum, et aliis Urbis ec-

A clesiis fecit, cum quo thesauro postquam pene omnes Romanos corrupisset, Innocentius papa nullum subsidium in Urbe habens, cum cardinalibus in duabus galcis transivit in Franciam, et a rege Francorum honorifice receptus est, postquam in Claromonte et Remis celebrasset concilia. In reditu, pacificatis Januensibus et Pisaniis, attendens quae sibi et Ecclesiae fecerant servitia magna, Januensem episcopum, qui sub Mediolanensi fuerat, fecit archiepiscopum, et Pisanum primatrem totius Sardiniae. Hoc [Mox] coronato Lothario in imperatorem ambo simul intraverunt Apuliam, et fugato Rogerio Siculo, qui domino papae rebellis erat; Lotharius Christianissimus rediit in Teutoniam, papa Romam. Ubi solemni celebrato concilio sepultus est in Lateran. in concha porphyrica miro opere sculpta.

## VITA TERTIA

AUCTORE CARDINALI ARAGONIO.

Innocentius II, natione Romanus, de regione Transtiberina, ex patre Joanne, qui et Gregorius, diaconus cardinalis Sancti Angeli (4\*), sedit annis XIII, mensibus VII, diebus VIII. Hic eadem die sub contentione electus est cum Petro Petri Leonis, presbytero cardinali titulo Sancti Calixti, anno 1130, XVI Kalendas Martii, unde magna in Urbe discordia orta, episcopi et cardinales se in partes duas contulerunt. Sed melior (5) et senior pars eidem Innocentio, qui majoribus studiis et meritis juvabatur, adhaesit. Omnes enim subscripti cum ipso constanter steterrunt, Guilielmus Praenestinus, Matthæus Albanensis, Joannes Ostiensis, et Couradus Sabinensis, episcopi; Petrus quoque Sancti Martini, Joannes Cremensis Sancti Chrysogoni, Hubertus Sancti Clementis, Anselmus Sancti Laurentii in Lucina, Jozelinus Sanctæ Ceciliae, Gerhardus Sanctæ Crucis, et Petrus Sanctæ Anastasie, presbyteri cardinales; Romanus Sanctæ Mariae in Portico; Gregorius Sanctorum Sergii et Bacchi; Aimericus Sanctæ Mariae Novæ, apostolicæ sedis cancellarius; Albertus Sancti Theodori; et Guido Sanctæ Marie in via Lata diaconi cardinalis.

(4\*) A. et M., titulo Sancti Angeli, etc.

(5) A. et M., major, etc.

B Tres vero ex illis, qui adversæ parti adhaerant, videlicet Desiderius Sanctæ Praxedis, Liutifredus (6) Sancti Vitalis, et R. Sanctæ Sabinæ, ad papam Innocentium sunt conversi. Petrus autem Petri Leonis cum sectatoribus suis humiliatatem Innocentii parvipendens, non posuit Deum adjutorem sibi, sed sperans in multitudine divitiarum, in potentia parentum, et in fortitudine munitionum, hostiliter fecit aggredi domos Fragepanum in quibus se Innocentius cum fratribus suis receperat. Sed contra spem sibi accidit, quia et Innocentii partem modicum læsit, et ejus satellites non sine gravi damno sunt ad eum reversi. Unde in indignationem et iram commotus, ad Sanctum Petrum cum multitudine maxima equitavit, et ipsam cepit Ecclesiam per violentiam. Introivit etiam C in sanctuarium, et aureum crucifixum pendentesque coronas cum toto thesauro auro et argenti, ac pretiosis lapidibus, seu gemmis, quae Romani pontifices et orthodoxi imperatores in ecclesia ipsa cum omni devotione obtulerant, tanquam sacrilegus prædo diripiuit atque communivit (7). Cibarium quoque, quod super altare beatus Leo papa construxerat, debru-

(6) M., Luceifredus. A., Luccafredus.

(7) M., minuit.

stare præsumpsit. Sublatis autem omnibus, ad patriarchium Beatæ Mariæ (8) accessit, et ecclesiam ipsam multo majore thesauro ditatam expoliare nihilominus attentavit. Ad alias præterea Urbis ecclesias manus extendens, quidquid in eis pretiosum invenit, similiter rapuit et asportavit. Talibus ergo ac tantis mercibus undique (9) ditatus, majorem venialis Urbis partem emere studuit corrumpens maiores, et minores opprimens. Vulgus etiam ita sibi astrinxit, ut præter Frangapanum, et Cursorum munitiones papa Innocentius nullum in Urbe subdium haberet. Cum igitur pontifex ipse undique ita esset obsessus, ut nemo ad ejus præsentiam sine periculo vitæ posset accedere, consilium habuit excludi Urbe, et transcedi ad partes Galliarum. Ascendit ergo in duabus galeis cum omnibus fratribus qui secum steterant, præter Conradum Salinensem episcopum, quem vicarium in Urbe reliquit; et faucium Tiberis difficultate transcensa ad civitatem Pisam cum prosperitate Domino auctore pervenit. Ibi aliquandiu morari faciens, de gravi guerra que inter Pisanos et Januenses agitabatur, firmam treguanum Domino cooperante compositum. Quibus rite peractis iterum mare intravit, et per Januam transiens, apud Sanctum Egidium prospere applicavit. Procedens autem per Vivarium et Anicium, Alverniæ fines intravit, et apud Claramontem primum concilium solemniter celebravit; ibique receptis nuntiis Lotharii Theotonici regis, et dispositis aliis que ad Ecclesiæ statum spectare videbantur, iter suum versus partes Franciæ direxit. Unde factum est quod Ludovicus rex Francorum apud Arelanum, et Henricus rex Anglorum apud Carnotum cumdem papam Innocentium cum gloria et honore debito suscepserunt. Postmodum vero in Lotharingiam transitum fecit et ei apud Leodium prædictus rex Lotharius cum episcopis et aliis regni Theotonici prælatis occurrit: ibique post jucundam receptionem ipsius pontificis rex ipse cum principibus suis consilio habitu expeditionem ad Urbem jurare fecit, et eundem pontificem in secundo anno ad selem beati Petri reducere sponponit. Tunc pontifex ad regnum Franciæ rediit, et generali concilio do quinque regnis convocato Remis, mediante Quadragesima secundam synodum celebravit. Quibus expletis ad Urbis redditum se accinxit, et transiens per Sanctum Egidium, et per Montem Januæ, fines Lombardia intravit, atque apud Astam solemnitate Resurrectionis Dominicæ celebrata, venit Placentiam, ibique congregatis episcopis et aliis Ecclesiarum prælatis, tam de Lombardia quam de Ravennatensi provincia, et inferioris Marchiæ partibus, tertium concilium celebravit.

Interea rex Lotharius, sicut promiserat, in Lombardiā cum exercitu venit, et in Roncaliis cum eodem papa et Lombardis generale colloquium de

A statu Ecclesiæ atque imperii habuit. Precessit igitur regem pontifex, et per montem Burdonis in Tusciā transiens, reversus est Pisas, ubi convocatis Januensibus, et receptis ab utraque civitate sufficientibus juramentis, quod de guerra que inter ipsas civitates excitatur, suo deberent stare sine contradictione mandato, præcepit utrisque ut pacem de cætero inter se firmam tenerent et custodirent. Attendens ergo beatus pontifex filialem devotionem, et plurima opportuna obsequia que in multis Ecclesiæ uscessitatibus predictæ civitates Romanis pontificibus gratis exhibuerant, et eas honorare dignum duxit, et speciali prerogativa exaltare. De consueta igitur apostolicæ sedis liberalitate primatum Ecclesiæ Pisanae concessit super Sardinie insulam, sub B jiciens ei Populoniensem episcopum et tres alios episcopos in insula Corsicæ, Aleriensem videlicet, Anetensem. . . . . . Januensem vero episcopum a subjectione Mediolanensis archiepiscopi emancipavit, et specialem de novo apostolicæ sedis metropolitanum constituit, cui Bobiensem episcopum, et Pruniacensem abbatem, quem creavit episcopum, obedire præcepit. in eadem quoque insula Corsicæ tres episcopos nihilominus ei concessit.

Porro dum hæc agerentur, rex Lotharius in Tusciā venit, et apud Calcinariam in territorio Pisano cum eodem papa colloquium iterum habuit. Concordantes igitur ut ad Urbem festinare deberent, rex per stratam publicam, et pontifex per maritimam, usque Viterbiū processerunt. Itaque pariter colloquentes processerunt insimul per Ortam, et Sabineuse, et Farsense territorium; et appropinquantes Romam juxta ecclesiam Sanctæ Agnetis castrametati sunt. Occurrentibus autem eis Theobaldo Urbis præfecto, ac Petro Latrofis, cum aliis nobilibus Romanis, et Transtiberinis, intraverunt Romam anno Domini 1154. Et pontifex quidem in palatio Lateranensi hospitatur, et rex Lotharius in Monte Aventino tentoria sicut. Tunc Pisani et Januenses in auxilium pape Innocentii cum navali exercitu Romanum venientes, civitatem veterem, turrim de Pulverejo, et totam Marmoratam eidem pontifici subjugarunt. Coronatus est autem idem rex in imperatore Augustum ab eodem pontifice in ecclesia Lateranensi, u Nonas Junii; et exinde ad montem Aventinum utrinque cum gaudio pariter redierunt. Eo autem tempore maxima pars Romanæ urbis conversa est ad Innocentium papam, et vires Petri Leonis valde sunt minutæ. Quia vero aestivum cauma tunc imminebat, et Romani aeris intemperiem Teutonici non modice formidabant, dispositis in Urbe iis que necessaria videbantur fidelibus ejusdem pontificis, imperator ad propriis relictis, et pontifex iterum ad civitatem Pisam: uero Dominus remeavit. Eo autem anno in majori ecclesiæ Pisana, convocatis omnibus Ecclesiarum prælatis de

(8) M. legit in margine eodem charactere scriptum: *Vult dicere ecclesiam B. M. de Urbe.*

(9) A., inique.

Hispania, Guasconia, Anglia, Francia, Burgundia, Alamannia, Hungaria, Lombardia et Tuscia, quartum concilium celebravit. In quo inter cetera episcopi qui inferius adnotantur, fuerunt depositi : Eustachius, Valentinus, Aurasicensis, Petrus Terdonensis, Hubertus Lucanus, Bergomensis et Bojanus Aretinus.

Et quoniam Rogerius Siciliae comes contra unitatem Catholicæ Ecclesie se exerat, et Petrum hæresiarcham in errore suo sovebat et defensabat, Christianissimus imperator Lotharius zelo Dei et fidei accensus, tanquam Catholicæ Ecclesie advocate vires imperii denuo excitavit, et ad exhæredandum, et de toto imperio expellendum ipsum comitem attentavit. Unde factum est quod in quinto anno pontificatus ipsius Innocentii una cum ipso pontifice Aquile fines potenter intravit. Pisani quoque ad expulsionem ipsius comitis vires suas in auxilium ejusdem pontificis excitarunt, et preparato in galeis et aliis navibus magno exercitu venerunt usque Salernum, expoliantes Amalsiam et Rivellum cum aliis circumpositis munitis castris. Obsesso itaque Barolo ac devicto, et subjugatis ceteris Apulie civitatibus, predictus Rogerius comes in Siciliam fecit consugium; et imperator simul ac pontifex comitem Rainonem constituerunt ducem Apulie. Tanto igitur triumpho, suffragantibus beati Petri meritis, habito, imperator ad Alamanniam, et pontifex ad Urbem cum gloria redierunt. Post paucos autem dies Petrus hæresiarcha in errore suo defunctus est et occulce sepultus : cuius sectatores cum tabescerent, et in seipsis desicerent, ut honorabilius possent cum Innocentio papa componere, unum ex suis idolisererunt, quem Romani Carnecorium (10) derisorie appellarent. Evolutis autem paucis diebus, pœnitentia ducti, ad pedes ejusdem pontificis ipsum idolum adduxerunt, et ab Ecclesia misericorditer sunt recepti. Tunc universa civitas conversa est ad Innocentium tanquam ad pastorem et episcopum animarum suarum. Audita est vox latitiae in toto orbe, quia Deo auctore factum est unum ovile et unus pastor; unde tanta pax per studium et potentiam ipsius papæ in eadem Urbe viguit, quanta non reminiscitur a longe retro temporibus existisse. Eodem tempore, anno videlicet Incarnationis 1138, pontificatus vero ipsius domini Innocentii anno x, convocatis de omnibus partibus mundi patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis Ecclesiarum prelatis, grande concilium celebravit, in quo ultimo die inter cetera sunt hæc capitula promulgata: « Si quis suadente diabolo hujus sacrilegi reatum incurrit, quod in clericum, vel monachum violentas manus injecerit, anathemati subjaceat, et nullus episcorum illum presumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec apostolico conspectui presentetur, et ejus mandatum suscipiat. Ad hæc ordinationes factas a Petro Leonis, et aliis schismaticis et hereticis evacuamus, et irritas esse censemus. »

(10) A., Carnecorium.

A De valida fame quæ fuit Romæ tempore Innocentii papæ II.

Hujus vero temporibus in primo anno sui pontificatus tam valida famæ Romæ fuit, quod frumenti sextarium quinque solidis denariorum Papiensium vendebatur. Hic beatus pontifex annuale beneficium centum videlicet librarum Papiensis monetæ judicibus, et advocatis Romanæ Urbis de camera sua constituit, et eos hujusmodi juramentum exhibere ordinavit.

*Juramentum quod præstuerunt advocati constituti a papa Innocentio in Roma.*

« In nomine Domini Amen. Ego N. advocatus juro, quod ab hac hora in antea placita, vel negotia Romanorum, in quibus advocatus ero, vel patronus Romanorum malitiose non impugnabo, vel defendam, sed pro scientia mihi a Deo præstita, secundum constitutiones, ac leges, et bonos mores ea tractabo. Et postquam iustitia de eisdem causis a me cognita fuerit, si requisitus fuero, iudicibus fatefaciam, et eis in ipso judicio assensum meum adhibebo. Premium exinde non suscipiam, nec per me, nec per submissam personam, nec suscipi permittam; et si susceptum fuerit, postquam scivero, infra quindecim dies illud reddi faciam. Et patrocinium meum alicui habenti causam, si ab eo rogatus fuero, malo studio non negabo; salvis beneficiis quæ habemus ab ecclesiis, vel aliis, et exceptis encæniis valentibus duodecim denarios, quæ gratis, et sine exactione nobis offeruntur. Ilæc omnia observabo bona fide, sine fraude et malo ingenio, quandiu papa Innocentius, vel successores sui centum libras, vel valens, denariorum Papiensium nobis advocatis et iudicibus annis singulis solvent. »

Hic beatus pontifex ecclesiam Beatae Mariae Dei Genitricis, titulo Galixti, totam innovavit et construxit. Tectum Lateranensis ecclesie, quod repente ceciderat, magnis trabibus optime resarcivit. In ecclesia quoque Beati Pauli titulum qui ruinam patiebatur, constructo super columnis marmoreis muro, firmissime roboravit, et partem tecti ejusdem ecclesie longissimis trabibus resarcivit. Præ rea ecclesiam Sancti Stephani in Cœlio monte præ nimia vextate quassatanæ optime reparavit. In palatio Lateranensi duas cameras a fundamento construxit, et totam longoram sinino (11) firmavit, atque alia multa famosa suis temporibus egit. Circa finem vero sui pontificatus populus Romanus novitatis amator sub velamento uitiiatis reipublicæ contra ipsius voluntatem in Capitolium senatum erexit. Illic ordinationes fecit multis per Decembrem et alios menses, diaconos decem et octo, presbyteros viginti, et episcopos sexaginta duos per diversa loca. Defunctus est Romæ octavo Kalendas Octobris, et in ecclesia Lateranensi honorifice tumulatus in concha porphyretica, miro opere constructa.

(11) M. Summo. A., Simuo.